

DE LOCO LONGITVDINIS AC LATITVDINIS Lunæ vero, ad quodlibet tempus propositum inueniendõ.

CAPVT XIX.

Motus Lunæ in Ephemeridibus ad dies æquales supputatus est. Cũ uero nos dies inæquales habemus, necesse est motũ illum Lunæ ad ipsos adaptare.

Reliqui planetæ hac reductione meridianorum non egent, propter tarditatem suam. Nisi magna differentia sit inter meridianum Augustanũ & propositum.

Primum à tempore proposito semper minuta deduces, quæ in tabella æquationis motus Lunæ, loco Solis respondent, hoc est, quæ è regione graduum ac sub signo, Solis, ponuntur. Et remanebit tempus æquatum. Deinde si ad alium quempiam meridianum, quam ad Augustanum, locum longitudinis Lunæ constituere uolueris, tempori antedicto æquato, differentiam meridianorum addes, aut ab eodem subtrahes, prout litera A uel S in Indice præcipuarum ciuitatum Europæ, sub columnula motus Lunæ, tempori annectitur, idque ex aduerso ciuitatis propositæ. Ita demum tempus, & æquatum & ad meridiem reductum habebis. Hoc autem tempus æquatum simulque ad meridiem reductum, aut æquatum tantum, ubi differentia meridianorum adhibita non fuerit, si exactè in meridiem inciderit, motum Lunæ, absque ullo labore exscribas, ut in Ephemeridibus assignatus est, è regione diei propositi.

Tabella æquationis motus Lunæ.

	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
G	m	m	m	m	m	m	m	m	m	m	m	m
0	8	17	21	16	12	15	25	32	30	16	3	0
2	8	17	20	16	12	16	26	32	29	15	3	0
4	9	18	20	15	12	16	26	33	28	14	2	1
6	10	18	20	15	12	17	27	33	28	13	2	1
8	10	19	20	14	12	17	28	33	27	12	1	1
10	11	19	20	14	12	18	28	32	26	11	1	2
12	12	19	19	14	12	19	29	32	25	10	1	2
14	12	20	19	13	12	19	29	32	24	10	0	3
16	13	20	19	13	12	20	30	32	23	9	0	3
18	14	20	19	13	13	21	30	32	22	8	0	4
20	14	20	18	12	13	21	31	32	21	7	0	4
22	15	21	18	12	13	22	31	31	20	6	0	5
24	15	21	17	12	14	23	31	31	19	5	0	5
26	16	21	17	12	14	24	32	31	18	4	0	6
28	16	21	17	12	15	24	32	30	17	4	0	7
30	17	21	16	12	15	25	32	30	16	3	0	8

Nulla enim prorsus in eo alteratio accidere potest. Sed si tempus illud post meridiem numerabitur, motum diurnum Lunæ extrahas, per subtractionem uidelicet motus diei propositi à sequente. Cum quo tabulas motus proportionalis, quæ Lunæ competunt, intrato, ac in superiori parte quantitatem numeri eius inquirito. Quam, ubi exactè repereris, statim ibi subtus, horas Astronomicas antedicti temporis, cyphris grandioribus expressas, sumas: Minuta uero earum in linea collateralis sinistra. Quicquid autem angulus communis obtinuerit, hoc motui Lunæ uero in Ephemeridibus assignato, ad meridiemque diei propositi relato, semper coniunges. Et emerget motus longitudinis Lunæ uerus, horis ac minutis temporis æquati simulque ad meridiem reducti, uel æquati tantum, respondens. Sed ubi quantitatem numeri, de motu illo Lunæ diurno extracto in tabulis motus proportionalis, quæ Lunæ competunt, superius exactè non repereris, proximiorè numero eligas, ac ut ait, ostensum est, motum proportionalem de ea in corpore tabule accipias. Aut si exquisitori ratione operari malueris, Primo per tabulam motus diurni Lunæ proximè minorem, Deinde proximè maiorem, quam est motus diurnus Lunæ propositus, motus proportionales in angulis communibus, sub horis Astronomicis antedictis, ex aduersoque minorum earum constitutos, elicias, De quorum differentia pars proportionalis sumatur, secundum proportionem minorum, quæ sunt inter tabulam proximè minorem ac motum Lunæ diurnum propositum, ad 3. minuta, & proueniens semper addendum erit motui proportionali, in angulo communi tabule proximè minoris constituto. Sic namque motum longitudinis Lunæ uerum conflabis, qui ad amussim horis ac minutis temporis æquati, ac simul ad meridiem reducti, uel æquati tantum, respondebit.

¶ Motus porro latitudinis Lunæ uerus, iuxta doctrinam capitis antecedentis inquiri debet.

CAVTIO.

Quando sub (minutorum à minutis) tractio fieri (graduum à gradibus) nequiverit, (ignororum à lignis) memineris (60. minut. à 1. accõmo) (30. grad. danda) (12. lign. esse.) pro his.

Hoc & antecedens caput, infra, per crebram repetitionem exemplorum, maiore perspicuitatem consequetur.

Quando per (minut. 60. & grad. 30. & lign. 12.) additionem excreuerint, memineris (grad. 1. & lign. 1. & nihil penitus.) accipiendum esse. Si plus his per additionem excreuerint, residuum retinebis. Quinimmo tanquam superuacaneum abijciendum.

Index